[illegible]

DECRETVM DE SAcramentis eccleſiæ, & de reſidentia ac reformandis in eccleſia moribus, factum in Sacroſancta œcumenica & generali Tridentina Synodo, VII. Seſſione, die III. Martii, M. D. XLVII.

PARISIIS,

Ex officina Michaëlis Vaſcoſani, in uia quæ eſt ad diuum Iacobum, ſub Fontis inſigni.

M. D. XLVII.

CVM PRIVILEGIO.

THE NEWBERRY LIBRARY

Case
F
39
.326

15477

48-1127.

DECRETVM DE SAcramentis eccleſię,& de reſidentia ac reformandis in eccleſia moribus.

AD conſumationem ſalutaris de iuſtificatione doctrinæ (quæ in præcedenti proxima ſeſſione, uno omniū patrum cōſenſu promulgata fuit) cōſentaneū uiſum eſt de ſanctiſſimis eccleſię Sacramētis agere: per quæ omnis uera iuſtitia uel incipit, uel cœpta augetur, uel amiſſa reparatur. propterea ſacroſancta œcumenica & generalis Tridētina Synodus in ſpiritu ſācto legitime cōgregata, præſidētibus ī ea eiſdē apoſtolicę ſedis legatis, ad errores eliminādos, & extirpādas hęreſes, quæ circa ſanctiſſima ipſa ſacramenta hac noſtra tēpeſtate, tū de dānatis olī à patribus noſtris hęreſibus ſuſcitatę,

tum etiã de nouo adinuentæ ſunt: quæ catholicæ eccleſiæ puritati, & animarũ ſaluti magnopere officiunt, ſanctarum ſcripturarum doctrinę, apoſtolicis traditionibus, atque aliorum cõciliorum & patrum conſenſui inhęrendo, hos pręſentes Canones ſtatuendos & decernẽdos cenſuit: reliquos qui ſuperſunt, ad cœpti operis perfectionẽ, deinceps diuino ſpiritu adiuuãte æditura.

CANONES DE SAcramentis in genere.

1. SI QVIS dixerit ſacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura uel pauciora quàm ſeptẽ, uidelicet Baptiſmũ, Confirmationẽ, Euchariſtiã, Pœnitentiã, extremã Vnctionẽ, Ordinẽ, & Matrimoniũ: aut etiam aliquod horũ ſeptẽ nõ eſſe uere & proprie ſacramentum, Anathema ſit.

SI

SI quis dixerit ea ipſa nouæ legis ſa 2.
cramenta à ſacramentis antiquæ legis
non differre, niſi quia cerimonię ſunt
alię, & alii ritus externi, Anathema ſit.

SI quis dixerit hæc ſeptē ſacramēta 3.
ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione
aliud ſit alio dignius, Anathema ſit.

SI quis dixerit ſacramenta nouæ le 4.
gis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed
ſuperflua, & ſine eis aut eorū uoto per
ſolam fidem homines à deo gratiā iu-
ſtificationis adipiſci, licet omnia ſingu
lis neceſſaria non ſint, Anathema ſit.

SI quis dixerit hęc ſacramēta pro- 5.
pter ſolam fidem nutriendam inſtitu-
ta fuiſſe, Anathema ſit.

SI quis dixerit ſacramenta nouæ le- 6.
gis non cōtinere gratiam quam ſigni-
ficant, aut gratiam ipſam non ponēti-
bus obicem non conferre, quaſi ſigna
tantum externa ſint acceptæ per fidē
gratię uel iuſtitię, & notę quędā chri-

ſtianæ perfectionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, Anathema ſit.

7. SI quis dixerit non dari gratiam per huiuſmodi ſacramenta ſemper & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiam ſi rite ea ſuſcipiant, ſed aliquando & aliquibus, Anathema ſit.

8. SI quis dixerit ipſa nouæ legis ſacramenta opere operato non conferri gratiam, ſed ſolum fidē diuinę promiſsionis ad gratiam conſequendam ſufficere, Anathema ſit.

9. SI quis dixerit in tribus ſacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddā ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, Anathema ſit.

10. SI quis dixerit chriſtianos omnes in uerbo & omnibus ſacramētis adminiſtrādis habere poteſtatē, anathema ſit.

SI quis dixerit in miniſtris,dum ſa- 11.
cramenta conficiunt & conferũt, nõ
requiri intentionem, ſaltem faciendi,
quod facit eccleſia, Anathema ſit.

SI quis dixerit miniſtrum in pecca- 12.
to mortali exiſtentem, modo omnia
eſſentialia quæ ad ſacramentum cõ-
ficiendum aut conferendũ pertinent
ſeruauerit,non conficere aut confer-
re ſacramentum,Anathema ſit.

SI quis dixerit receptos & appro- 13.
batos,& eccleſiæ catholicę ritus in ſo
lẽni ſacramẽtorũ adminiſtratione ad
hiberi cõſuetos,aut cõtemni,aut ſine
peccato à miniſtris pro libito omitti,
aut ĩ nouos alios per quẽcũq; eccleſia
rũ paſtorẽ mutari poſſe,anathema ſit

DE BAPTISMO.

SI quis dixerit baptiſmum Ioannis 1.
habuiſſe eandem uim cum baptiſmo
Chriſti,Anathema ſit.

SI quis dixerit aquã ueram & na- 2.

turalē nō eſſe de neceſsitate baptiſmi, atq; ideo uerba illa domini Ieſu Chriſti, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, ad metaphoram aliquā detorſerit, Anathema ſit.

3. SI quis dixerit in eccleſia Romana, quę omnium eccleſiarū mater eſt & magiſtra, non eſſe ueram de baptiſmi ſacramēto doctrinam, Anathema ſit.

4. SI quis dixerit baptiſmum, qui etiā datur ab hęreticis in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit eccleſia, nō eſſe uerum baptiſmum, Anathema ſit.

5. SI quis dixerit baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem, Anathema ſit.

6. SI quis dixerit baptizatum non poſſe etiam ſi uelit gratiam amittere, quātuncunque peccet, niſi nolit credere, Anathema ſit.

7. SI quis dixerit baptizatos per baptiſmum

ſmum ipſum ſolius tantum fidei debitores fieri, non autem uniuerſæ legis Chriſti ſeruandæ, Anathema ſit.

8. SI quis dixerit baptizatos liberos eſſe ab omnibus ſanctæ eccleſiæ præceptis, quę uel ſcripta uel tradita ſunt, ita ut ea obſeruare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere uoluerint, Anathema ſit.

9. SI quis dixerit ita reuocandos eſſe homines ad baptiſmi ſuſcepti memoriam, ut uota omnia quæ poſt baptiſmum fiunt, ui promiſſionis in baptiſmo ipſo iam facta, irrita eſſe intelligãt, quaſi per ea & fidei, quã profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi baptiſmo, Anathema ſit.

10. SI quis dixerit peccata omnia quæ poſt baptiſmum fiũt, ſola recordatione, & fidei ſuſcepti baptiſmi, uel dimitti uel uenialia fieri, Anathema ſit.

11. Si quis dixerit uerũ, & rite collatum

baptiſmum iterandũ eſſe illi,qui apud infideles fidẽ Chriſti negauerit, cũ ad pœnitentiã cõuertitur, Anathema ſit.

12. SI quis dixerit neminem eſſe baptizandũ, niſi ea ętate qua Chriſtus baptizatus eſt,uel in ipſo mortis articulo, Anathema ſit.

13. SI quis dixerit paruulos, eo quòd actũ credẽdi nõ habẽt,ſuſcepto baptiſmo inter fideles cõputandos nõ eſſe: ac propterea cũ ad annos diſcretionis peruenerĩt, eſſe rebaptizãdos: aut pręſtare omitti eorũ baptiſma,quàm eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide eccleſiæ, Anathema ſit.

14. SI quis dixerit huiuſmodi paruulos cum adoleuerint interrogãdos eſſe an ratũ habere uelint, quod patrini eorũ nomine dũ baptizarentur polliciti ſunt,& ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos,nec alia interim pœna ad chriſtianam uitam cogendos

gẽdos,niſi ut ab Euchariſtię aliorũq; ſacramentorum perceptione arceantur,donec reſipiſcant, Anathema ſit.

DE CONFIRMATIONE.

SI quis dixerit confirmationem baptizatorum ocioſam cærimoniam eſſe,& non potius uerum & proprium ſacramentũ,aut olim nihil aliud fuiſſe quàm catecheſim quandam qua adoleſcentiæ proximi,fidei ſuæ rationem coram eccleſia exponebãt,Anathema ſit. 1.

SI quis dixerit iniurios eſſe Spiritui ſancto eos qui ſacro confirmationis chriſmati uirtutem aliquam tribuunt,Anathema ſit. 2.

SI quis dixerit ſanctę confirmationis ordinarium miniſtrum nõ eſſe ſolum epiſcopum,ſed quenuis ſimplicẽ ſacerdotem,Anathema ſit. 3.

EADEM ſacroſancta ſynodus eiſdem pręſidentibus & legatis incœptū reſidētiæ & reformationis negocium, ad Dei laudem & Chriſtianæ religionis incrementum proſequi intendens, ut ſequitur, ſtatuendum cenſuit: Salua ſemper in omnibus ſedis apoſtolicæ authoritate.

1. AD Cathedralium eccleſiarum regimen, nullus niſi ex legitimo matrimonio natus, & ętate matura, grauitate morum, literarumq́; ſcientia, iuxta conſtitutionē Alexandri III. quę incipit, Cū in cunctis, in cōcilio Lateranēſi promulgatā, præditus, aſſumatur.

2. NEMO quacunque etiam dignitate, gradu, & præeminētia præfulgēs, plures metropolitanas ſeu cathedrales eccleſias in titulum ſiue commendam, aut alio quouis nomine contra ſacrorum canonum inſtituta recipere, & ſimul retinere præſumat: cū ualde felix

felix ſit ille cenſendus,cui unam eccleſiam bene ac fructuoſe, & cũ animarum ſibi commiſſarũ ſalute regere cõtigerit. Qui autem plures eccleſias cõtra præſentis Decreti tenorem nunc detinent,una quam maluerint retenta,reliquas infra ſex menſes (ſi ad liberam ſedis apoſtolicæ diſpoſitioné pertineant) aliàs infra annum dimittere teneantur. Alioquin eccleſiæ ipſæ,ultimo obtenta dũtaxat excepta,eo ipſo uacare cenſeantur.

INFERIORA beneficia,præſertim curam animarũ habentia, perſonis dignis & habilibus,& quę in loco reſidere ac præ ſe ipſos curã ipſam exercere ualeãt,iuxta conſtitutionem Alexandri III. Lateranenſis,quę incipit,Quia nonnulli:& aliam Gregorii X. in generali Lugdunẽſi concilio, quæ incipit,Licet canon,æditam, conferãtur:Aliter autẽ facta collatio,ſiue 3.

prouiſio,omnino irritetur:& ordinarius collator pœnas cōſtitutionis cōcilii generalis, quæ incipit, Graue nimis,ſe nouerit incurſurum.

4. QVICVNQVE plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia eccleſiaſtica, ſiue per uiā unionis ad uitam,ſeu cōmendæ perpetuæ,aut alio quocunq; nomine & titulo,cōtra formam ſacrorum canonum, & præſertim conſtitutionis Innocētii III.quę incipit,De multa,recipere ac ſimul retinere præſumpſerit : beneficiis ipſis, iuxta ipſius conſtitutionis diſpoſitionem, ipſo iure etiā præſentis canonis uigore priuatus exiſtat.

5. ORDINARII locorū,quoſcūq; plura curata,aut aliàs icōpatibilia beneficia eccleſiaſtica obtinentes,diſpēſationes ſuas exhibere diſtricte compellant:& aliàs procedāt iuxta cōſtitutionē Gregorii X.i generali Lugdu

nenſi

nenſi cōcilio æditā,quę incipit,Ordinarii: Quā eadē ſacroſancta Synodus innouandā cenſet & innouat:Addēs inſuper,quòd ipſi ordinarii, etiam per idoneorum uicariorū deputationē,& cōgruæ portionis fructuū aſſignationē omnino prouideāt, ut animarū cura nullatenus negligatur:& beneficia ipſa debitis obſequiis minimè defraudētur : appellationibus & exēptionibus quibuſcūq;, etiā cū iudicū ſpecialiū deputatione,& illorū inhibitionibus,in pręmiſſis nemini ſuffragātibus.

Vniones perpetuæ à XL.annis citra factę,examinari ab ordinariis tanq̄ à ſede apoſtolica delegatis poſsint: & quæ per ſubreptionē uel obreptionē obtentę fuerint,irritę declarētur. Illæ uerò quę à dicto tēpore citra cōceſſę, nōdū in toto uel in parte ſortitę ſunt effectū,& quę deiceps ad cuiuſuis inſtātiā fiēt(niſi eas ex legitimis aut aliàs 6.

rationabilibus cauſis coram loci ordinario,uocatis quorum intereſt, uerificandis factas fuiſſe conſtiterit)per ſubreptioné obtétę prę ſumantur: ac propterea,niſi aliter à ſede apoſtolica declaratū fuerit, uiribus omnino careãt.

7. BENEFICIA eccleſiaſtica curata, quæ cathedralibus collegiatis ſeu aliis eccleſiis, uel monaſteriis beneficiis ſeu collegiis, aut piis locis quibuſcunque,perpetuo unita & annexa reperiuntur, ab ordinariis locorum annis ſingulis uiſitentur: qui ſolicite prouidere procurent, ut per idoneos uicarios perpetuos (niſi ipſis ordinariis pro bono eccleſiarum regimine aliter expedire uidebitur) ab eis cum tertiæ partis fructuū, aut maiori uel minori, arbitrio ipſorum ordinariorū, portione etiam ſuper certa re aſsignãda,ibidem deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur, appellationibus, priuile-

priuilegiis, exemptionibus, & iam cũ iudicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuſcunque, in pręmiſſis, minime ſuffragantibus.

8. LOCORVM ordinarii, eccleſias quaſcũque quomodolibet exemptas, authoritate apoſtolica ſingulis annis uiſitare teneantur, & opportunis remediis prouidere, ut quæ reparatione indigent, reparentur: & cura animarũ, ſi qua illis immineat, aliisq́; debitis obſequiis minime defraudentur: Appellationibus, priuilegiis, conſuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, iudicum depu putationibus, & illorum inhibitionibus, penitus excluſis.

9. AD maiores eccleſias promoti, munus conſecrationis infra tempus à iure ſtatutum ſuſcipiant: & prorogationes ultra ſex menſes conceſſæ, nulli ſuffragentur.

10. NON liceat capitulis eccleſiarum ſede uacante, infra annum à die uacationis ordinandi licentiam, aut literas dimiſſorias ſeu reuerendas(ut aliqui uocant) tam ex iuris communis diſpoſitione,quàm etiam cuiuſuis priuilegii,aut cõſuetudinis uigore, alicui, qui beneficii eccleſiaſtici recepti ſiue recipiendi occaſione arctatus nõ fuerit,concedere : ſi ſecus fiat, capitulum contraueniens,eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto:& ſic ordinati,ſi in minoribus ordinibus conſtituti, nullo priuilegio clericali, præſertim in criminalibus,gaudeant: in maioribus uerò, ab executione ordinum ad beneplacitum futuri prælati ſint ipſo iure ſuſpenſi.

11. FACVLTATES de promouendo à quocũque non ſuffragentur, niſi habentibus legitimam cauſam,ob quã à propriis epiſcopis ordinari non

poſſint,

poſſint,in literis exprimẽdam: & tunc non ordinentur, niſi ab epiſcopo in ſua diœceſi reſidente,aut pro eo pontificalia exercente,& diligenti præuio examine.

FACVLTATES de nõ promouendo , præterquam in caſibus à iure expreſſis cõceſſæ,ad annum tantùm ſuffragentur. 12.

PRAESENTATI,ſeu electi 13.
uel nominati quibuſuis eccleſiaſticis perſonis,etiam ſedis apoſtolicæ nunciis, ad quæuis eccleſiaſtica beneficia non inſtituantur,nec confirmẽtur,neque admittantur: etiam prætextu cuiuſuis priuilegii ſeu conſuetudinis, etiã ab immemorabili tempore præſcriptæ,niſi fuerint prius à locorum ordinariis examinati, & idonei reperti.& nullus appellationis remedio ſe tueri poſſit,quominus examen ſubire teneatur:præſentatis tantùm electis,ſeu no-

minatis ab uniuerſitatibus ſeu colle-
giis generalium ſtudiorum exceptis.

14. IN exemptorum cauſis conſtitu-
tio Innocentii IIII. quæ incipit Vo
lentes,in generali concilio Lugdunē-
ſi ædita ſeruetur:quā eadem ſacroſan
cta ſynodus innouandam cenſuit, &
innouat:Addēdo inſuper,quod in ci-
uilibus cauſis mercedum & miſera-
biliū perſonarum clerici ſeculares,aut
regulares extra monaſterium degen-
tes, quomodolibet exempti, etiam ſi
certum iudicē à ſede apoſtolica de-
putatum in partibus habeant: In aliis
uerò ſi ipſum iudicem nō habuerint,
coram locorum ordinariis, tanquā in
hoc ab ipſa ſede delegatis,conueniri,
& iure medio ad ſoluendū debitum
cogi & compelli poſſint: Priuilegiis,
exemptionibus,Conſeruatorū depu-
tationibus,&eorū inhibitionibus ad-
uerſus præmiſſa, nequaquā ualituris.

CVRENT

CVRENT ordinarii,ut hoſpi- 15.
talia quæcunque à ſuis adminiſtratoribus, quocunque illi nomine cenſeantur,etiam quomodolibet exemptis,fideliter & diligenter gubernẽtur: Conſtitutionis concilii Viennen.quæ incipit,Quia cõtingit,forma ſeruata: Quã quidem conſtitutionem eadem ſancta Synodus innouandam duxit,& innouat:cũ derogationibus in ea cõtentis.

EADEM ſacroſancta Synodus, eiſdẽ præſidentibus,& Apoſtolicę ſedis legatis, ad reſtituendam collapſam admodum eccleſiaſticã diſciplinã,deprauatóſque in clero & populo chriſtiano mores emendãdos ſe accingere uolens:ab iis qui maioribus eccleſiis præſunt, initium cenſuit eſſe ſumendũ.Integritas enim præſidẽtium, ſalus eſt ſubditorũ. Cõfidens itaque per domini ac Dei noſtri miſericordiã, pro

uidâmque ipſius Dei in terris uicarii ſolertiam, omnino futurum, ut eccleſiarũ regimen (onus quippe angelicis humeris formidandum) qui maxime digni fuerint, quorúmque prior uita ac omnis ætas, à puerilibus exordiis uſque ad perfectiores annos, per diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtipendia laudabiliter acta teſtimonium prębeat: ſecundum uenerabiles beatorum Patrum Sanctiones aſſumantur omnes. Patriarchalibus, Primarialibus, Metropolitanis, & cathedralibus eccleſiis quibuſcunque, quouis nomine ac titulo pręfectos monet, ac monitos eſſe uult, ut attendentes ſibi, & uniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit eos regere eccleſiã Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, uigilent: ſicut Apoſtolus præcipit: in omnibus laborét, & miniſterium ſuum impleant. Implere autẽ illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi com

miſſos

miſſos mercenariorum more deſerãt: atque ouium ſuarum (quarum ſanguis de eorum manibus eſt à ſupremo iudice requirendus) cuſtodiæ minime incumbant: cùm certiſsimum ſit, nõ admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oues comedit, & paſtor neſcit. Ac nihilominus quia nonnulli (quod uehementer dolendum eſt) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam ſalutis immemores, terrenáque cæleſtibus, ac diuinis humana præferentes, in diuerſis curis uagantur: aut negociorum tẽporalium ſolicitudine (ouili derelicto, atque ouium ſibi commiſſarum cura neglecta) ſe detinent occupatos: Placuit ſacroſanctę Synodo antiquos Canones, qui temporum atq; hominũ iniuria penè in deſuetudinem abierunt, aduerſus non reſidentes promulgatos innouare, quemadmodum uirtute præſentis Decreti innouat: ac ulterius

pro firmiori eorundem reſidentia, & reformandis in eccleſia moribus, in hũc qui ſequitur modum ſtatuere atque ſancire.

1\. SI quis à patriarchali, primariali, metropolitana ſeu cathedrali eccleſia ſibi quocũque titulo, cauſa, nomine ſeu iure commiſſa, quacũque ille dignitate, gradu ac præeminentia præfulgeat (legitimo impedimento, ſeu iuſtis & rationabilibus cauſis ceſſantibus) ſex mẽſibus continuis extra ſuam diœceſim morando abſuerit: quartæ partis fructuum unius anni fabricæ eccleſiæ, & pauperibus loci, per ſuperiorem eccleſiaſticum applicandorũ, pœnam ipſo iure incurrat. Quod ſi per alios ſex mẽſes in huiuſmodi abſentia perſeuerauerit: aliam quartam partem fructuum ſimiliter applicandam eo ipſo amittat. Creſcente uerò contumacia, (ut ſeueriori ſacrorum canonum cẽſuræ ſubiiciatur)

iiciatur)Metropolitanus ſuffraganeos epiſcopos abſentes: Metropolitanum uerò abſentem ſuffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens, ſub pœna interdicti ingreſſus eccleſiæ, eo ipſo incurrenda, infra tres menſes per literas ſeu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur:qui in ipſos abſentes(prout cuiuſque maior aut minor contumacia exegerit)ſuę ſupreme ſedis authoritate animaduertere, & in eccleſiis ipſis de paſtoribus utilioribus prouidere poterit, ſicut in domino nouerit ſalubriter expedire.

EPISCOPI inferiores quæuis 2
beneficia eccleſiaſtica perſonalem reſidentiã de iure ſeu cõſuetudine exigentia, in titulum ſiue commendam obtinẽtes,ab eorum ordinariis (quẽadmodum eis pro bono eccleſiarum regimine,& diuini cultus augmento, locorũ & perſonarum qualitate pen-

ſata,expediens uidebitur) opportunis iuris remediis reſidere cogantur: Núlliq; priuilegia ſeu indulta perpetua de non reſidẽdo, aut de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragẽtur: Indulgẽtiis uerò & diſpenſationibus tẽporalibus ex ueris & rationabilibus cauſis tantùm conceſſis, & coram ordinario legitime probandis, in ſuo robore permanſuris. Quibus caſibus, nihilominus officium ſit Epiſcoporũ tanquam in hac parte à ſede apoſtolica delegatorum prouidere, ut per deputationem idoneorum uicariorum, & congruæ portionis fructuum aſsignationem, cura animarũ nullatenus negligatur: nemini quoad hoc priuilegio ſeu exemptione quacunq; ſuffragãte.

3. ECCLESIARVM prælati, ad corrigẽdum ſubditorum exceſſus, prudenter ac diligenter intendant: & nemo clericus ſecularis cuiuſuis perſonalis,

ſonalis uel regularis extra monaſteriũ degens, etiã ſui ordinis priuilegii prætextu tutus cenſeatur: quominus ſi de liquerit, ab ordinario loci, tanquam ſuper hoc à ſede apoſtolica delegato, ſecundum canonicas ſanctiones uiſitari, puniri & corrigi ualeat.

CAPITVLA cathedralium & aliarum maiorum eccleſiarum, illorúmque perſonæ, nullis exemptionibus, conſuetudinibus, ſententiis, iuramentis, concordiis (quæ tantùm ſuos obligent auctores, non etiam ſucceſſores) tueri ſe poſſint, quo minus à ſuis epiſcopis, & aliis maioribus prælatis, per ſe ipſos ſolos, uel illis quibus ſibi uidebitur adiunctis, iuxta canonicas ſanctiones, totiens quotiens opus fuerit, uiſitari, corrigi & emẽdari, etiã authoritate apoſtolica poſſint, & ualeãt. 4.

NVLLI epiſcopo liceat cuiuſuis priuilegii prætextu, pontificalia in al- 5.

terius diœceſi exercere, niſi de ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidẽ ordinario ſubiectas tantùm. Si ſecus factũ fuerit, epiſcopus ab exercitio pontificalium, & ſic ordinati ab executione ordinum, ſint ipſo iure ſuſpenſi.

ITEM hæc ſacroſancta ſynodus ſtatuit & decreuit, proximã futuram ſeſſionem habendam & celebrãdam eſſe, die Iouis feria quinta poſt ſequẽtem dominicã in albis, quę erit XXI. menſis Aprilis, præſentis anni M. D. XLVII.

3 3 3
3

365
24

1460
730

8766
60

000

2596

2596 0

2
1 4 18

Ce preſent livre eſt a moy
Claude calliat